



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Vtraque Gallorum regula probatur etiam auctoritate Hincmari in
epistola ad eundem Nicolaum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

judicio de Ebbonis abjectione, quasi discordia esset in Remensi Ecclesia pro ejus ordinatione. Unde idem Papa Domino Carolo, sed & Guntbaldo Archiepiscopo, & eidem Hincmaro literas misit, ut cum post diem sancte Resurrectionis Missos suos in servitium Imperatoris mitteret, Treviris cum Episcopis ad hanc discordiam sapientiam convenire studerent.

VIII. Ad probandam autem utramque regulam utar etiam testimonio Hincmari ad Nicolaum Papam scribentis. Hinc juxta Sardinense Concilium, inquit, summus prima & sancte sedis Romane Pontifex pro examinis renovatione ad se reclamans & refugientis cum sua clamoratione dejecti provincialis Episcopi non statim singularitate privilegij & auctoritatis sue restituit, sed remittens eum ad provinciam ubi causa patrata fuerat, ----- aut finitimis Episcopis dignatur scribere, aut e latere suo mitti qui habentes ejus auctoritatem presentes cum Episcopis judicent, & diligenter causam inquisitam definiant.

Ap. Flooard.
lib. 3. Hist. Rem.
c. 13.

CAPVT XXIII.

Synopsis.

I. Contendebant praeerea Episcopi Gallicani appellari non posse à iudicibus electis, etiamsi ij electi essent post appellationem. Ei Gallorum desiderio contradixit Nicolaus primus in causa Rothadi Episcopi Suesionensis. Narratur historia depositionis Rothadi.

II. Dejectionis ejus certior factus Nicolaus, excanduit, praesertim quòd intelligeret ordinatum fuisse in loco ejus Episcopum, spreta appellatione. Itaque ad Hincmarum scripsit, non oculis doloris indicis, adeo ut suspensionem à divinis intentaverit.

III. Synodi acta confirmatorum se negat Nicolaus donec Rothadus fuisset auditus. Tum irascitur ob depositionem Rothadi peractam post appellationem. Scribendum autem fuisse ad Summum Pontificem, iam meisi appellatum non fuisset, ut cognosci posset an is causam retrahere vellet. quòd contrarium est canonis Sardinensis.

IV. Canones violatos ait ex eo capite quòd Episcopus in loco Rothadi fuerit ordinatus post appellationem. Episcopi verò excipiunt eum post appellationem expetisse iudicium Episcoporum. Quid dein actum à Nicolao.

V. Temperata fuit excandescencia Nicolai. Postulat ut aut Episcopi Rothadum restituant, aut aliquos Romam mittant quos coram iudicium renovari possit apud sedem apostolicam.

VI. Hinc occasionem sumpsit Hincmarus scribendi celebrem illam epistolam ad Nicolaum; in qua evulgantur quinque arcana Episcoporum Gallicanorum quoad depositionem Episcoporum. Explicantur regule illae.

VII. Pallium interdum tribuebatur Episcopis, iametsi Metropolitanis non essent. Hi verò contendebant sibi quoque competere privilegium exemptionis à jurisdictione synodorum. Verum exemptio illa non

devogabat auctoritati synodorum. Pallium autem concedi nemini poterat, ob exemptionem illam, absque consensu Regis & Episcoporum Gallicanorum.

VIII. Gregorij igitur quarti & Leonis quarti constitutiones in usum receptae non erant in Gallia, cum id quòd dicitur ante ab eis constitutum fuerat in gratiam omnium Episcoporum, ab Hadriano tribuitur Alvaro Episcopo Nannetensi tanquam privilegium, ratione Pally.

IX. Magni momenti sunt verba Hincmari ex quibus quinque ille Gallorum regule colliguntur.

X. Galli perveraciter contendunt appellari non posse à iudicibus electis, contra tendente Nicolao Papa. Mirabile temperamentum Hincmari.

XI. Ruituram prorsus ecclesiasticam disciplinam scribit ad Nicolaum Hincmarus si sententia adversus Rothadum à iudicibus electis lata infringatur.

I. **P**RÆTER duas regulas Episcoporum Gallicanorum à nobis propositas capite superiori, tertia quoque prorsus animosè propugnabatur à nostris, non posse nimirum Episcopum damnatum provocare à iudicibus electis, tametsi ij electi essent post appellationem interpositam ad sedem apostolicam. Sed fatendum est Summos Pontifices se ad hanc regulam non accommodasse, licet alias devorassent. Contra, Nicolaus primus ei aperte contradixit in causa Rothadi Episcopi Suesionensis. Varia ei crimina obiecta fuerant in synodo habita in Convicino villa propter Sylvanectum anno octingentesimo sexagesimo tertio, in primis verò depositum ab eo Presbyterum injustè, dissipata bona Ecclesiae, oppigneratum calicem aureum, spretas Metropolitanis monitiones. Cum autem in eo res esset ut sententia jamjam in eum ferenda esset, provocavit ad sedem apostolicam, prorogarique tantisper iudicium obtinuit donec ipse Romam accessisset. Interim schedulam porrexit nonnullis Episcopis synodi, eorum opem implorans. quam schedulam se interpretatus est Hincmarus, quasi Rothadus ad iudices electos provocaret. Itaque Rex synodum transfudit ab suburbium Suesionense, ubi accusator quoque sex Episcopos elegit, quos iudices esse cupiebat. Episcopi verò ad quos Rothadus scripserat, tum etiam sex qui ab accusatore electi erant, eum deponunt, ac statim Episcopum alium in loco ejus ordinant. Ipse verò in exilium pulsus, in monasterium projectus est.

II. Dejectionis ejus certior factus Papa Nicolaus, excanduit, praesertim cum intelligeret ordinatum fuisse in loco ejus Episcopum, spreta appellatione. Statim itaque ad Hincmarum scribit ut famae & sedi suae Rothadum restituat intra spatium triginta dierum postquam hanc epistolam receperit, vel si sententiam existimet esse justam, aut ipse